Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De divino amore - Cod. Ettenheim-Münster 388

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XVI.

urn:nbn:de:bsz:31-133543

Visual Library

Caput XVI.

Aspirationes ad Deum ob eius celsitatem.

1. Tibi ô Domine Deus tanquam regi Saeculorum, imortali, et invisibili, Soli Deo honor et gloria debetur. Tu enim Solus altissimus et Super omnem terram gloria tua Splendet. Quis namque Similis tui in Diis Dñe; et quis excelsus Sicut Deus noster, qui in altis habitat? Certe omnes gentes, quascunque fecisti, venient, et procidet coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus, et excelsus es tu: excelsus, inquam, Super Cherubim, et Seraphim, Super virtutes et potestates, Super dominationes, et Principatus: verbo, Super omnia, quae in Coelo Sunt, et in terra. Tu es enim Deus altissimae Maiestatis, Cuius intuitu reliqua umbra Sunt, et puncta. Verè dignus accipere omnem gloriam et honorem, et cui ministrant

millia millium et secies millies centena millia, et ultra. ô Deus Rex altissime, tu cor meum possides, ut tibi amorem debitum reddam omni tempore. ô magne Deus amo te, et magis amare te desidero; tu enim mihi celsior, et amabilior, quo Coelo et terra ac omnibus, quæ in eis sunt, es sublimior.
2. ô Domine Deus, video, quod homines, quò in maiori dignitatis culmine sut positi, eò facilius ab eo suspiciantur, ac timeantur, sed non ita facile amentur; tu verò ô amantissime Deus, quò sublimior eò amabilior es; sicut enim propter celsitatem dignus es timeri, ita et propter eandem dignissimus es amari. Ecquis non meritò censeat omni amore dignam eam celsissimam maiestatem, quæ se dignanter ad suam nostram pravitatem demittit, ut suæ celsitudinis nos participes faciat, quæ amore nostri ad summam humilitatem se deiicit, ut nos ad gloriam evehat, et in

dextra sua collocet; verum ô Domine Deus hac tuâ humilitate profecto te ipsum magis exaltas, teque gloriosiorem, atque adeò amabiliorem reddis; quia ostendis, quod multitudo misericordiæ, sapientiæ, ac bonitatis tuæ sit magna, sit infinita, sit incomprehensibilis. ô Rex altissime, quis te non diligat: cuius cor licet ferreum tanta excellentiæ, ac pietatis tuæ celsitas non emolliat, et ad se non rapiat! ô maiestas tam amabilis, quam sublimis, video te totam amore conglutinatam mihi, cur vivissimi cor meum ardenti charitate non totum conglutinetur tibi? ô Deus, Deus meus, tu totus, totus meus sis, et ego totus, totus tuus.

3. Confiteor itaque ô amantissime Deus, te adeò excelsum, ac sublimem, ut quidquid in cœlo et in terra magnum et altum suspicitur, in conspectu tuo evanescat. Ecce enim, si omnia

in cœlo aut in mundo sunt pulchra, nobilia, prætiosa, magnifica, sublimia, amœna, dulcia, iucunda, suavia, delectabilia, desiderabilia cuidam nobilissimæ creaturæ tribuerentur, eaque singulis momentis per omnem æternitatem augerentur, proh! quam magna, quam amabilis, quam admirabilis, quam sublimis inde tandem evaderet talis creatura! Certè eius nobilitas, gloria, ac sublimitas, omnem superaret sensum, universum transcenderet intellectum, ac corda omnium in ardentissimum sui ipsius amorem vehementissimè raperet. Et tamen hæc nobilissima creatura, Domine Deus tibi comparata adhuc pro nihilo computaretur. omnis eius celsitudinis magnitudo in conspectu essentiæ tuæ foret sicut gutta aquæ vastissimo composita

mari: imo evanesceret, sicut stella fulgente sole; finiti enim ad infinitum nulla est proportio. O Deus meus defecit anima mea, dum hæc considero. Domine Deus virtutum, quis similis tibi. vere tu es totus desiderabilis, et super omnia amabilis. o altitudo! o profundum! o abyssus omnium desiderabilium, absorbe me in te! o lumen oculorum meorum illucesce mihi anhelanti ad te. Ecce Domine, ecce ego totis cordis mei medullis cupio diligere te. Ah accende, et penitus concrema me amoris tui igne.

Caput. XVII.

Aspirationes ad Deum ob eius voluptatem.

1. Domine Deus meus, quoties rerum amoenarum species conspicio, cum coelum et terram, universumque mundum animo perlustro, cuncta hæc mihi videntur huius modi vocibus compellare cor meum: